Ad Quodlibetarias

Quaestio Medica

Matutinis excutienda disputationibus in Scholis Medicorum die Jovis 8a Januarii.
Spectatiss. Viro M. Petro Ponçon Doctore Med. moderatore prudentiss.

An ut Convulsio, sic Paralysis à causis ~~contrariis~~ contrariis?

Cerebrum humanum ~~τῶν~~ θαυμάσιον et omnium corporis partium ~~[illegible]~~ κυριώτατον mole et virtute caeteris antecellens, animalis imperii sensus motusque proaeretico definiti excelsa sedes, quam in se continet vim sensoriis motoriisque organis impertit, facultatis utriusque una cum vectore spiritu animali facta irradiatione per nervorum seu funiculorum solam substantiam, quae licet dilatato duriusculoque cerebro sit simillima, imo eadem, tamen in opticis excavata, ubique vero σπογγώδης existimans et germanam retinet temperiem principii a quo derivantur omnes, tum molles, tum duri, nullo consistentiae ortusve discrimine certo, sensui motuique dicati: quamquam ex illis multi ab antica cerebri parte promanantes sensum, ex his vero plurimi à postica motum partibus suppeditant.

Quorum omnium mutuis beneficiis, officiisque universa gaudet, floretque animantis oeconomia, nisi in munitissimam illam facultatum arcem convulsio et paralysis irruerint truculenter: illa enim licet musculi (qui proximum est motus voluntarii instrumentum non nervus) ad caput vel in motu secundum naturam quamquam contra προαίρεσιν contracti actionem non imminuat aut rescindat, sed depravet, tamen cerebri κατ' ἐξοχὴν δεξιῶς affectio est, morbusque partis illius organicus; cui ὄρεξις et ~~motus~~ φαντασία motus proaeretici causa primaria insidet, unde corpus totum convelli, non prius affecto cerebro, visum nunquam: hinc et convulsi aliquando phrenetici, alias ἄφωνοι, nonnunquam et ~~et~~ comatosi, capite gravati sapissime.

Convulsio omnis vel primaria est cerebri affectio, ideoque totius corporis, unde periculosa: vel per consensum. Primaria triplex, ἐμπροσθότονος ad anteriora, ὀπισθότονος ad posteriora trahens, et ex utroque conflatus tetanus, qui intra quatuor dies aut perimit aut solvitur: consensus vero duplex, vel humoris, seu vaporis mordaci vel qualitate vitali (nam spiritalium hic nulla est vis) ad cerebrum transmissa. Ejusmodi febrium sunt ~~[illegible]~~ trismus musculorum μασσητήρων, illosis palpebrae, strabismi oculorum, et gonorrhoea, si cum tensione paris convulsio: harum causae sunt κένωσις cum febre, πλήρωσις sine febre gravis, illa vix periculi expers cerebri propria est, non nervorum (quos principio suo sano cordarum instar tendi, vel convulsionem citant fabulae simillimum) haec, nisi in febribus post ~~somnum~~, tuta vel plurimum praecipue si cum quartanâ, non nervorum origini tantum sed ventriculo, utero, vesicae, caeterisque partibus nitentibus inflammatione vexatis, vel vulnere (ex quo convulsio lethalis) communicatur: calor insuper et frigus intensa, nervis ex aequo infensa convulsiones pariunt.

Paralysis vero convulsioni contraria, cerebri affectus, si universum languescat corpus, vel nervorum, si partes tantùm, cum sensus vel motus (quorum alter perire potest, altero incolumi) vel utriusque laesione: unde triplex, quae fit vitiato sensu levior, quae motu praepedito gravior, quae utroque periculosa, stupore tamen omnes timendae magis: haec si totam corporis occupet molem, servato communi nomine est paresis: si dimidiatam paraplexia, quae epilepsiam nonnunquam, apoplexiam frequentius finit, si respiratoria instrumenta ἄπνοια, ~~[illegible]~~ si vocis ἀφωνία: sic adempto dialecto lingua, tractrice facultate imbecillâ stomachus, relaxatis sphincteribus, vesica et anus paralysin patiuntur. Haec indicant non dolor, non tumor, non urina, non faeces, sed ~~[illegible]~~ pulsus stupidus: tardus vero et imbecillus, aliquando creber, sed intermittens eadem comitatur, et gravitatis sensus, aliquando cum parotidibus, quae in his morbis cum apparuerint saepe malae.

Ut convulsionem sic paralysin causae insident contrariae, cerebri nempe, aut nervorum mollities, a calore etiam sine materia, vel ab humore debilitas, et ~~[illegible]~~ siccitas à frigore, vel humore sicco, ~~[illegible]~~ et bili, maxime post tertianam: obstructio à viscosis densisque succis in otiosa vita multitudine ciborum, excrementorum retentione luxuriantibus: compressio à corpore duro externo, vinculo, manibus constringentibus, vicinae partis scirrho, ossis luxatione, praecipue vertebrarum quae triplex est, λόρδωσις ad interna, κύφωσις* in obliquum flexio: quarum duae priores non resolvunt si fiant κατὰ βραχὺ, sicut nec posterior si in lumborum spondylis contingat: quod si in cervicalibus non solum paralysin in ea parte ad quam spinalis ipsa medulla deflectitur ciet gravem, sed etiam in oppositâ spasmum: si in thoracicis demum omnia quam in priori leviora.

Ergo ut Convulsio, sic Paralysis à causis Contrariis.

Ponebat Simon Bazin Lutetianus. 1598.

Domini Doctores Disputaturi

M. Petrus Paulmier
M. Petrus Ponçon Praes.
M. Anthonius Quiquebeuf.
M. Jacobus D'Amboyse Med. Reg.
M. Jacobus Cousinot.
M. Franciscus Dupont.
M. Sulpicius Rigaut.
M. Joannes le Pescheur.
M. Bartholomaeus Perdulcis.